224.

Reverendissimo Domino Davidi Pareo in inclyta Archi-Palatina Academia Heidelbergensi Professori Primario, et sacrosanctae Theologiae Doctori etc. Nobis observandissimo charissimoque.

Reverendissime Domine: Nobis observandissime et Charissime: Salutem ac sinceram Nostri commendationem.

Ex commendatione nostrae Religionis Antistitum, è numero, quos hic Albae juliae foveo, alumnarum praesentium exhibitorem, ut priores alios, Georgium Carolinum, spei melioris juvenem, vestrae Reverendissimae Dominationi Nos etiam commendamus. Cujus equidem virtutis studiorumque scintillam, pariter à vestra Reverendissima Dominatione, ac multorum aliorum cum fructu promovendam fore, partim ut debito pietatis officio, partim expectationi nostrae satisfiat, nihil dubitamus. Deinde pro ea qua vestram Reverendissimam Dominationem erga Nos, nostraque omnia, paterna affici charitate persuasi sumus; hoc ipsi in sinum et in aures secreto intimare volumus; simul etiam per eundem Serenissimo Principi Domino Electori Palatino et modis quibusque convenientioribus proponere: velle Nos fratruelem nostrum Comitem Stephanum Bethlen, ex fratre Germano ejusdem nominis nepotem, nunc annos duodecim agentem, pro linguarum peritia, simul etiam liberalium studiorum incremento in aulam Academiamque suae Serenitatis Heidelbergensem quam primum promovere: Cui pro tenella ipsius aetate, cum de tali aliquo paedagogo, qui viarum, regionum, tantaeque peregrinationis et experientia dux, et author esse valeat, simul etiam ad educationem doctrina, moribus dignus aptusque pro voto

expectationemque nostram reperiatur, providendum sit,
ubi praeter ullo (quod nos suspicari equidem non possu-
mus) esset quidem lethali obstaculo, consilium tam suae serenis-
tatis, quam suum proprium nostro huic proposito suffra-
gari collegerit, ex duobus nunc ibidem studentibus alu-
mnis nostris, Casparem Boythium, vel uter vestrae Re-
verendissimae Dominationi magis placuerit, cum cer-
ta animi voluntatisque Serenissimi Principis ac
vestrae Reverendissimae Dominationis declaratione,
ad nos sine ulla librorum suppellectilisque jactura
redire jubeat. Quem ubi salvum sospitemque receperi-
mus, in transmissione fratrueli una cum ipso paeda-
gogo, curam quanto possimus diligentiorem adhibebi-
mus. Sin autem aliquod, quod ne suspicari quidem nobis jam
tibi possemus, discrimen in transmissione pueri vestra
Reverendissima Dominatio perspexerit: pro Christiano
ejus candore rogamus, ut id medium, quod nobis ac puero sa-
lutare visum fuerit, consulat, persuasissimum habens,
quicquid a vestra reverendissima Dominatione consul-
tum hac in re fuerit, haud aliter nos ac si ab ipsa cha-
ritate profectum fuisset secuturos. Has eandem diu sal-
vam et incolumem vivere cupientes. Datum in civi-
tate nostra Alba Julia die 21. Junij Anno Domini 1618.

Reverendissimae

Dominationi vestrae

Addictus et uti filius benevolus

Gabriel Bethlen

manu propria.

Serenissimo Principi Transsylvaniae 225.

D. Gabrieli Bethlen.

Gratiam et pacem a Servatore Deo, et Domino
nostro Jesu Christo!

Serenissime et potentissime Princeps, Domine
clementissime, etsi ex proximis Celsitudinis vestrae lite-
ris 11. Augusti stylo juliano mihi per Georgium
Carolinum novum alumnum redditis observare li-